Programm

des

Gymnasiums zum heiligen Kreuz

in Dresden,

womit

zu dem Valedictions-Actus

am 30. März

ergebenst einladet

das Lehrer-Collegium.

---

1. De aliquot locis Gorgiae Platonici scr. M. Wohlrab, Dr.
2. Schulnachrichten von Prof. Dr. Klee, Rector.

Dresden.

Druck von E. Blochmann und Sohn.

1863.

EPISTOLA CRITICA

QUAM AD

CHRISTIANUM AUGUSTUM BRANDISIUM

VIRUM ILLUSTREM

DE ALIQUOT LOCIS GORGIAE PLATONICI

MISIT

MARTINUS WOHLRAB.

Martinus Wohlrab Christiano Augusto Brandisio viro illustri S. D. P.

Cum per menses hibernos a. MDCCCLVI. et LVII. auditoribus tuis, inter quos mihi contigit esse, in scholis privatissimis Platonis et Aristotelis scripta quaedam proponeres, quae interpretarentur, cohortari eos solitus es, ut, si qua re offenderent, eam tecum communicarent, eosque, cum veri philosophi et philologi virtutibus sis ornatus, docere, quomodo ad ea, quae si non vera at verisimilia haberi possent, accederent. Ego autem ex illo tempore non solum studio philosophorum Graecorum tenebar et, cum per officii munus licebat, ad eos revertebar, sed etiam curam et diligentiam, qua tu excellis inter omnes, in iis legendis imitari studebam. Eorum tamen scriptorum cum in primis Plato mihi esset in amore et deliciis, hoc mihi accidit gratissimum, quod a Krausio viro optimo, cujus in schola privata doctoris partes susceperam, Gorgiam cum discipulis legere jussus sum. Itaque omnes curae Platonicae cum ex illo tempore in hoc dialogo defixae essent, haud paucae mihi acciderunt dubitationes, quas quomodo tollere studuerim, ad te scribam, cum, ex quo te usus sum praeceptore, te earum rerum aestimatorem et judicem optimum esse mihi persuasum sit, ita ut, si te habeam assensorem, non frustra hīs rebus operam dedisse mihi videar.

Sed priusquam de locis singulis, qui impediti esse mihi videantur, quid sentiam, tecum communicem, breviter disserere liceat mihi de ratione et via, qua Hirschigius philologus Batavus in emendandis dialogis Platonicis usus est. Inter omnes enim satis constat, neminem esse, qui post Bekkeri singularem et praestantissimam divini philosophi editionem tot locos tentaverit, quam

Cobeti ille discipulus. Is autem cum emendandi sibi leges scripserit, quae vix probari possint, nullum fere assecutus est, qui cum eo sentiret. Qui autem e Gorgiae editoribus maxime eum secutus est, Deuschlius, eum recte propter hanc rem vituperavit, qui judicium de ejus editione fecit in Fleckeiseni Ann. LXXXIII. p. 412 sq., H. Keckius.

Ea igitur, in quibus recedendum esse duco ab Hirschigiana emendandi ratione, haec sunt. Primum quae tradita sunt mutat, ut auctori reddat genuinam, quam dicit, *ἀνάγκην* logicam sive dialecticam. Sed cum concedendum sit, locum male traditum saepe ita posse sanari, ut, quae scriptori dicenda sint, nobiscum reputemus, multas tamen hanc rem habere cautiones constat, cum sit periculum, ne sententiarum contextum quendam fingamus, qui per se satis probabilis esse possit, nihilominus tamen a cogitatione scriptoris animo informata abhorreat. Altera difficultas est in scribendi genere, quo Plato usus est. Dialogi enim cum ab eo egregia arte ad summam sermonis quotidiani similitudinem sint compositi, saepissime fit, ut logica quam Hirschigius dicit *ἀνάγκη* posita sit non tam in verbis quam in re, ita ut multum quaerendo demum investigari possit.

Quae cum Hirschigius neglegeret, saepissime de locis addubitat, qui nihil habent dubitationis, praesertim in argumentationibus Socraticis, quas ipse dicit in libello, quem de iis scripsit, mathematicam fere subtilitatem habere et tantam *ἀνάγκην* logicam, ut corrigenti ipsa quaeque disputatio certissima praebeat argumenta et poetam emendans ne ex metro quidem evidentiora petere possit. Nec tamen exemplis e Gorgia petitis, quibus demonstrare vult, quae sua sit emendandi ratio, id effecisse videtur, ut harum rerum tractatio ejus omnibus placere possit, quamquam ipse non dubitat, quin restitutae illae argumentationes Socraticae ipsae se commendent omnibusque summa evidentia probent. Quantum autem in iis correctionibus a vero aberraverit, exemplo declarabo. Pag. 460. C legitur: *οὐκοῦν ἀνάγκη τὸν δίκαιον βούλεσθαι δίκαια πράττειν;* In his verbis Hirschigius omissum esse *ἀεί* ita comprobasse sibi videtur: „Quomodo, concesso hoc, qui sit *δίκαιος* eum *βούλεσθαι δίκαια πράττειν,* approbari potest eum *οὐδέποτε βουλήσεσθαι ἀδικεῖν?* Nam hoc *οὐδέποτε* optime se habere conficimus ex 460 E, ubi Socrates dicit: *ὡς οὐδέποτ' ἂν*

εἴη ἡ ῥητορικὴ ἄδικον πρᾶγμα. Concesso igitur: eum *βούλεσθαι δίκαια πράττειν,* solum hoc: eum *οὐ βούλεσθαι ἀδικεῖν* cogimur concedere, nullo modo *οὐδέποτε βουλήσεσθαι.* Quapropter quaerenda est vox, quae habeat *ἀνάγκην* hoc cogentem, *οὐδέποτε βουλήσεσθαι ἀδικεῖν τὸν δίκαιον.* Quis igitur *οὐδέποτε βουλήσεται ἀδικεῖν?* Solusne, qui *ἀεὶ βούλεται δίκαια πράττειν?* Solus profecto. Ergo scribendum est: *οὐκοῦν ἀνάγκη τὸν δίκαιον ἀεὶ βούλεσθαι δίκαια πράττειν.*" (Explor. argum. Socrat. pag. 23.) His nugis neminem puto delectatum esse; quomodo autem pellendae sint, docuit Deuschlius in Fleckeiseni Ann. LXXXI. p. 502. In reliquis quoque locis, quos tractavit, Hirschigius in errorem ductus est, quod, antequam quae a Platone scripta essent inquireret, secum cogitavit quae Platoni essent scribenda, ac pag. 479. D tanta id fecit sollertia, ut ipsi Stallbaumio persuaderet, vulgatam librorum lectionem mancam esse neque argumentationi Socraticae convenientem. Sed non esse cur hic Plato reprehendatur, dummodo diligenter, quo quidque loco dictum sit, consideretur, optime demonstravit Deuschlius l. l. p. 501. Nec vero contigit Hirschigio, ut duos alios Gorgiae locos emendaret, quibus ut primus offenderit et medendi periculum fecerit, injuria sibi sumpsit. Quid dicam de loco corrupto, qui pag. 460. C legitur? cui eadem ratione medetur, atque Astius jam fecit. Expositum est de eo infra. Atque etiam interpretationem verborum, quae sunt pag. 477. D, cum leges grammaticae violatae sint, probari non posse, docuimus, ubi de eo loco scripsimus.

Deinde Hirschigius locos habuit non sanos, quibus scriptor videbatur sibi non constare tum in verbis tum in rebus grammaticis vel ubi legibus grammaticis positis a viris doctis non convenire videbantur, quae edita invenit. Qua de re in Explor. argument. Socrat. p. 7. dicit, grammaticos bonam et veram dictionem discere ex locis, in quibus ea integra supersit; itaque eos solere verum inventum docere lectoribusque probare exempla laudantes. Quod praeceptum cum omnino vituperari non possit, tamen cavendum est, ne in eo tenendo simus pertinaciores. Verba enim, quae non congruant verbis simili loco positis, hanc ob rem corrupta haberi non possunt, quod scriptori quae semel scripserit verba, eadem semper scribenda esse locis similibus minime sequitur itemque quas semel linguae leges observaverit, easdem semper

ei observandas esse. Obstat enim ei rei ubertas et copia cum linguae Graecae tum orationis Platonicae, quae sine molestia est elegans, obstat etiam, quod sermones scripsit Plato, in quibus genus dicendi adhibitum est multiplex et varium, ita ut eadem fere res multis modis dici possit, dummodo omnia secundum leges linguae conjuncta sint.

Qua de re satis est hos locos exempli gratia proferre. Pag. 451. D Hirschigius scripsit: *τί ἐστι τοῦτο τῶν ὄντων, περὶ ὃ οὗτοι οἱ λόγοι εἰσίν* et Deuschlius ei obtemperavit. Sed quamquam frequens saltem in hac Gorgiae parte usus est praepositionis *περὶ* c. accus., tamen *περὶ οὗ*, quod est in libris et editionibus omnibus, per se recte dictum esse nemo negare potest. Deinde cur pag. 457. B pro *τῇ ἀγωνίᾳ* posuerit *τῇ ἄλλῃ ἀγωνίᾳ*, ejus rei non aliam causam invenio nisi quod antea pag. 456. C *τῇ ἄλλῃ πάσῃ ἀγωνίᾳ* legitur. Ibidem nemo perspiciet, cur *ἐκ τῶν πόλεων* deletum sit, quod continuo quidem omittitur, sed pag. 460. D scriptum est. Pag. 477. D Hirschigius *ἀμφότερα* mutavit in *ἀμφοτέροις*, quod est etiam pag. 475 B, qua de re conferas Stallbaumium et Deuschlium l. l. p. 503. Quibus locis cum Hirschigius concinere inter se voluerit Platonis verba, haud rarius mutavit quae tradita sunt, quia scripta esse videbantur contra leges a grammaticis datas. Pag. 447. D injuria eum posuisse futurum *ἀποκρινεῖσθαι*, cum in libris omnibus excepto uno Paris. I sit praesens *ἀποκρίνεσθαι*, Stallbaumius docuit. Qua in re Deuschlius solus Hirschigium audivit. Qui autem fieri potuerit, ut ab utroque pag. 457. D *φιλονεικοῦντες, ἀλλ' οὐ ζητοῦντες* scriptum sit, postquam Heindorfius locum recte enarravit, intellegere non possum. Nec magis patet, quomodo pag. 458. A Hirschigius ad lectionem vulgatam *λέγοιμι* redire potuerit, qua omnis urbanitas, quae est in toto colore dicendi, tollitur. Socrates enim qua est modestia, ubi de se ipso dicit, indicativo utitur, ubi de aliis, optativo, quasi id modo ponat, alios verum non dicere, cum de se concedat id fieri.

Tertium emendationum genus manavit e suspicione, quam habet Hirschigius de auctoritate librorum. Saepe enim accidit, ut deleat, quae tantum posse deesse demonstrari potest, nec vero a Platone non esse scripta. Talibus in locis cum menda esse effici non possit, eos ejectione verborum emendatos esse

nemo dicet, ex qua re facile judicari potest, quanti tales correctiones faciendae sint. Quomodo enim, quaeso, probari potest pag. 447. A ἀστείας ἑορτῆς, pag. 451. E ὡς φησιν ὁ ποιητὴς τοῦ σκολιοῦ, pag. 462. B σοι δοκεῖ ἡ ῥητορικὴ εἶναι non scripta esse a Platone? Quamvis enim multa excogitari possint, quare delenda sint ea verba, tamen quemque confido, qui non tardo ingenio sit, sexcentis aliis locis probabiliter conficere posse inculcatum esse aliquid. Quae cum ita sint, nisi res ipsa vel grammatica vel librorum auctoritas nos coget, ut aliquid falsum esse putemus, melius erit servare quae tradita sunt.

Haec fere habui, quae de Hirschigiana emendandi ratione dicerem. Tu autem, vir clarissime, sine dubio mihi assentieris, si nova, quae protulerit in medium, ita comparata esse contendo, ut probari non possint, ac scriptis Platonicis ita optime consuli, ut, quam monstraverit eorum tractandorum viam Bekkerus, ea pergamus. Esse enim non pauca, quae virorum doctorum opera egeant, statim cognoscimus, si editiones post Bekkerianam paratas inspicimus. Ego quoque, cum multus essem in Platonis dialogis legendis et aliquot locis pristinum nitorem reddere posse mihi viderer, hac data occasione quae menda in Gorgia a me corrigi posse duco ad te scribam.

Pag. 447. B. *ΚΑΛ. Οὐκοῦν ὅταν βούλησθε παρ' ἐμὲ ἥκειν οἰκάδε· παρ' ἐμοὶ γὰρ Γοργίας καταλύει καὶ ἐπιδείξεται ὑμῖν.*

Qui Gorgiam nuper interpretati sunt, aut infinitivum ἥκειν pro imperativo positum aut aposiopesin statuendam esse, ita ut ἥκετε reticeatur, censuerunt. Quam utramque dicendi rationem, etiamsi ex legibus linguae Graecae ferri possit, tamen insolitam esse et propterea huic loco, quo res simplicissimae narrantur, minus convenire nemo non sentit. Huc accedit alterum, quod molestum est; conjunctione *καί* quae dissimili sunt inter se natura conjungi sumendum est. His omnibus loci incommodis optime medemur, si paucis mutatis ad Heindorfii explicationem, quae etiam Schleiermachero probata est, redimus et legimus: *Οὐκοῦν ὅταν βούλησθε παρ' ἐμὲ ἥκειν οἰκάδε — παρ' ἐμοὶ γὰρ Γοργίας καταλύει — καὶ ἐπιδείξεται ὑμῖν.* „Ergo quando ad me domum ire vultis — apud me enim Gorgias diversatur — etiam declamabit vobis." Inde apparet *παρ' ἐμοὶ γὰρ* (Bäumlein, griech. Part. p. 78—80.) *Γοργίας καταλύει* ea mente a Callicle addita

esse, ut demonstret, cur Socratem et Chaerephontem ad se domum ut veniant roget. *Καί* conjunctione in apodosi posita (cf. Nitzsch ad Hom. Od. XI. 111., Krüger ad Thuc. II. 93. 3., Franke ad Dem. III. 20.) nemo offendetur; significat enim, quam apte inter se cohaereant, quod Callicles Socratem et Chaerephontem cohortatur ut faciant et quod, si id fecerint, exspectare iis licet. Cf. Gorg. p. 476. C. *Εἰ σφόδρα τύπτει ἢ ταχὺ ὁ τύπτων, οὕτω καὶ τὸ τυπτόμενον τύπτεσθαι.* Rep. I. pag. 329. D. *Ἂν μὲν γὰρ κόσμιοι καὶ εὔκολοι ὦσι, καὶ τὸ γῆρας μετρίως ἐστὶν ἐπίπονον.*

Pag. 449. B. ΣΩ. *Ἆρ' οὖν ἐθελήσαις ἄν, ὦ Γοργία, ὥσπερ νῦν διαλεγόμεθα, διατελέσαι τὸ μὲν ἐρωτῶν, τὸ δ' ἀποκρινόμενος, τὸ δὲ μῆκος τῶν λόγων τοῦτο, οἷον καὶ Πῶλος ἤρξατο, εἰςαῦθις ἀποθέσθαι; ἀλλ', ὅπερ ὑπισχνεῖ, μὴ ψεύσῃ, ἀλλὰ ἐθέλησον κατὰ βραχὺ τὸ ἐρωτώμενον ἀποκρίνεσθαι.*

Ναί in cod. Aug., Meerm., Bodl. Routhii insertum est post *ἀποθέσθαι*, ita ut sit Gorgiae respondentis. Sed id omitti posse recte docuit Stallbaumius, cum Socrates Gorgiam, quem sumat precibus suis satisfacturum esse, cum irrisione quadam admonere possit, ne fidem fallat. Aliter Voegelinus in Adnotat. in Plat. Gorg. (Act. Societ. Graec. Vol. I. Fasc. II. p. 233.) verba *ὅπερ ὑπισχνεῖ* accipit, quae significare dicit: „quod semper, utique profiteris, scilicet, ut statim ipse Socrates explicat, *κατὰ βραχὺ τὸ ἐρωτώμενον ἀποκρίνεσθαι.*" Sed si hoc facile largimur Voegelino, talem sententiam exprimendam esse conjunctivo cum *ἄν* (*ὅπερ ἂν ὑπισχνῇ*), etiam id praetermisit, quod nunquam antea Gorgias professus est, se quam brevissime respondere velle Socrati, sed tantum se ad omnia, de quibus quilibet sciscitetur, responsurum esse (p. 448. A). Ac ne hoc quidem verum, Gorgiam breviloquentem se semper esse profiteri. Dicit enim paulo infra p. 449. C *καὶ γὰρ αὖ καὶ τοῦτο ἕν ἐστιν ὧν φημι, μηδένα ἂν ἐν βραχυτέροις ἐμοῦ τὰ αὐτὰ εἰπεῖν. Βραχυλογία* igitur h. l. premitur atque propterea, quod paulo ante Polus nimis prolixe orare coeperat.

Voegelinus igitur quae de *ναί* male interposito dixit cum ea probari non possint, multo minus tamen assentior Astio, qui Beckium sequens primum Gorgiae affirmandum esse putat se voluntati Socratis satisfacturum esse, deinde Socratem de loquendi brevitate dicere. Nam quo id jure dictum sit, non video. Socrates

enim a Gorgia jam petierat, ut longas orationes in aliud tempus differret (*τὸ δὲ μῆκος τῶν λόγων τοῦτο, οἷον καὶ Πῶλος ἤρξατο, εἰσαῦθις ἀποθέσθαι;*) ac verbis quae sequuntur: *ἀλλὰ ἐθέλησον κατὰ βραχὺ τὸ ἐρωτώμενον ἀποκρίνεσθαι* nihil aliud fecit, nisi quod modo petierat repetiit. Neque audiendus est Buttmannus in Auctuar. animadv. in Plat. Gorg. et Theaet. p. 479—80. Nullo enim modo Gorgias Socrati promittere potest ad omnes se interrogationes daturum esse responsa quam brevissima, cum subinde dicat, id omnino de omnibus rebus se polliceri non posse, esse enim res, de quibus paucis exponi non possit. Postquam igitur hoc excepit, responsa quaedam esse, quae necessario pluribus fiant verbis, tum demum quod Socrates a se petierit, quantum fieri possit, praestaturum se esse dicit: *οὐ μὴν ἀλλὰ πειράσομαί γε ὡς διὰ βραχυτάτων.* Socrates igitur Gorgiam ut cautus sit in pollicendo cohortatur, ut stet promissis. Atque cautionem adhibere statim videmus Gorgiam; concedit enim tantum, quantum pro rei natura concedi possit.

Pag. 460. B. ΣΩ. *Ὁ δὲ δίκαιος δίκαιά που πράττει.*
ΓΟΡ. *Ναί.*
ΣΩ. *Οὐκοῦν ἀνάγκη τὸν ῥητορικὸν δίκαιον εἶναι, τὸν δὲ δίκαιον βούλεσθαι δίκαια πράττειν;*
ΓΟΡ. *Φαίνεταί γε.*
ΣΩ. *Οὐδέποτε ἄρα βουλήσεται ὅ γε δίκαιος ἀδικεῖν.*
ΓΟΡ. *Ἀνάγκη.*
ΣΩ. *Τὸν δὲ ῥητορικὸν ἀνάγκη ἐκ τοῦ λόγου δίκαιον εἶναι.*
ΓΟΡ. *Ναί.*
ΣΩ. *Οὐδέποτε ἄρα βουλήσεται ὁ ῥητορικὸς ἀδικεῖν.*
ΓΟΡ. *Οὐ φαίνεταί γε.*

Non multi viri docti assentientur Stallbaumio, qui hunc locum levi, vel Voegelino, qui sanatione nulla egere putat, ut omnia bene cohaereant. Fuit certe inde a Schleiermachero nullus fere editor, qui non in aliqua re offenderit. Atque non sine causa Schleiermacherus, cui obtemperavit Bekkerus, verbum *βούλεσθαι,* quod deest in cod. Aug., Meerm., Bodl. Routhii, delendum censuit. Nam illud: „nunquam ergo volet justus injuriam facere" demum colligi apparet ex hoc: „annon necesse est justum juste facere?" *βουλήσεται* igitur inepte repetitum esset, si positum esset post *βούλεσθαι* et Plato rem ita instituisset, ut

sibi simul cum proposito id quod ei esset consequens concederetur. Quae etsi recte disputata sunt a Schleiermachero, tamen sublato illo *βούλεσθαι* novas oriri difficultates demonstravit H. Schmidtius, Difficiliores aliquot Gorg. Pl. loci accurat. expl. Viteb. 1860. p. 3. Verbis enim *τὸν δὲ δίκαιον δίκαια πράττειν* idem dictum est atque superioribus: *ὁ δὲ δίκαιος δίκαιά που πράττει*, quod certe aliquid offensionis habet, itemque *τὸν δὲ ῥητορικὸν ἀνάγκη ἐκ τοῦ λόγου δίκαιον εἶναι* nihil est nisi iteratio verborum *οὐκοῦν ἀνάγκη τὸν ῥητορικὸν δίκαιον εἶναι.*

Alia Astii est emendandi ratio nec tamen locum ab eo persanatum esse duco. Cogitando enim ita Platonem argumentatum esse invenit: primum dici de justo eumque demonstrari 1. juste facere 2. sua voluntate juste facere 3. ergo nunquam id agere, ut injuste faciat; deinde haec accomodari ad rhetorem et dici 1. eum justum esse, quippe qui justum didicerit 2. sua quidem voluntate juste facere 3. ergo nunquam id agere, ut injuste faciat. Haec argumentatio, etiamsi per se probabilis esset, Platonis tamen verbis, quae nobis tradita sunt, non congruit. Quod Astius cum sentiret, delevit verba *τὸν ῥητορικὸν δίκαιον εἶναι* cum sequenti *δέ* atque post Gorgiae responsum *Ναί* adjecit haec: *ΣΩ. Οὐκοῦν ἀνάγκη τὸν ῥητορικὸν βούλεσθαι δίκαια πράττειν; ΓΟΡ. Φαίνεταί γε.* Sed si mittamus, quod haec emendandi ratio violentior est, quam quae ferri possit, alii etiam resident scrupuli. Nam verbis *ὁ δὲ δίκαιος δίκαιά που πράττει* non possunt adjungi haec: *οὐκοῦν ἀνάγκη τὸν δίκαιον βούλεσθαι δίκαια πράττειν.* In Astii enim argumentatione cum haec: „justum sua voluntate juste facere“ ita sint addita, ut, quod antea dictum sit, accuratius definiatur, alia est ratio verborum Platonis, qui si nullo interveniente post *ὁ δὲ δίκαιος δίκαιά που πράττει* dixisset *οὐκοῦν ἀνάγκη κτλ.*, hoc ex superiore illo concludi voluisset, quod, si rem spectas, fieri non potest. Deinde in re quam maxime perspicua nimiam mireris abundantiam. Primum enim enunciatur, qui didicerit, quid sit justum, eum esse justum, deinde justum juste facere, tum necesse esse justum juste facere velle, denique nunquam justum injuste facere velle.

Quam earundem sententiarum repetitionem ineptam esse cum intellectum esset, alii alia tentaverunt. Astio assensus est Hirschigius, Exploratio argumentat. Socrat. p. 21—24. Deuschlius

autem in Fleckeiseni Annal. LXXXI. p. 502. ejecta voluit ea verba, quae suspecta jam antea erant Dachnio, Comment. crit. de aliqu. Pl. locis pag. 5 sq.: *ὁ δὲ δίκαιος δίκαιά που πράττει* ac praeter ea *τὸν δὲ ῥητορικὸν ἀνάγκη ἐκ τοῦ λόγου δίκαιον εἶναι.* In editione autem hujus dialogi secutus esse videtur C. F. Hermannum, qui verba *οὐδέποτε ἄρα βουλήσεται — Ναί* sustulit, quod facillime interpretandi causa adscribi potuissent. Ac ne libri quidem tutantur omnia; desunt enim in cod. Parisiensi W, qui est in optimis, verba *τὸν δὲ ῥητορικὸν — ὁ ῥητορικὸς ἀδικεῖν,* ad quae sine dubio adjiciendum est *οὐ φαίνεταί γε,* quod post *ἀνάγκη* poni non potest. Ac mihi quidem omnia circumspicienti corruptela latius patere videtur, quam Hermannus suspicatus est; spuria enim habeo verba *οὐδέποτε ἄρα βουλήσεται — οὐ φαίνεταί γε.*

Hoc ita se habere, primum testimonio Quinctiliani cognoscitur. Legitur enim in Instit. l. II. cp. 15.: „Itaque disputatio illa contra Gorgiam ita clauditur: *οὐκοῦν ἀνάγκη τὸν ῥητορικὸν δίκαιον εἶναι, τὸν δὲ δίκαιον βούλεσθαι δίκαια καὶ πράττειν;* Ad quod ille quidem conticescit, sed sermonem suscipit Polus.“ Ex his quidem verbis H. Keckius in Fleckeiseni Ann. LXXXIII. p. 415. negat effici posse verba *οὐδέποτε ἄρα βουλήσεται — οὐ φαίνεταί γε* a Quinctiliano non esse reperta in libris Platonicis, cum capite proximo Socrates et Gorgias disputare pergant. At illud: „disputatio illa contra Gorgiam ita clauditur“ mihi persuadere non possum significare verba a Quinctiliano laudata e parte illius disputationis extrema petita esse, praesertim cum locus facilis sit ad intellegendum, si quae sit propria vis vocis disputatio tenemus. Disputatio enim sane finita est his verbis, non jam ex utraque parte Socrates et Gorgias rem disserunt, non dicendo pugnat alter cum altero, sed quae capite quinto decimo exposita sunt, simpliciter efficiuntur ex iis, quae ab ambobus disputata sunt. Gorgias enim jam nihil facit nisi concedit omnia, quae a Socrate dicuntur, non amplius adversatur. Qui autem concedit omnia, eum recte dixeris conticescere. Quare optimo jure Quinctilianus Socratis disputationem contra Gorgiam clausam esse verbis citatis dicit; nam a verbis *μέμνησαι οὖν λέγων* argumentationis complexionem ordiri patet. Gorgias autem, postquam omnia concessit, quae sibi concedi Socrates voluit, victum se esse sentit; cum Gorgia Socrates disinit disputare, incipit cum Polo.

Quinctiliani igitur testimonio ut cognoscitur verba quae sunt post *φαίνεταί γε* illis temporibus non fuisse in libris, ita valde dubito, num assensor sit ullus Astio, qui verba *τὸν ῥητορικὸν δίκαιον εἶναι* et *δέ* particulam ex corrupto Platonis exemplo a Quinctiliano repetita esse arbitratur vel ea, postquam in Platonis exemplo interposita sint, etiam transisse in Quinctiliani libros.

Deinde hunc locum si attentius legimus, nihil invenimus in eo scriptum esse, quod non antea jam dictum sit et quod, si omittamus, jure desiderari possit, nisi forte excipis, quod rhetorem juste facere velle pressum est. Nam illud *οὐδέποτε βουλήσεται ὅ γε δίκαιος ἀδικεῖν* respondet huic *τὸν δίκαιον βούλεσθαι δίκαια πράττειν* (*ἀνάγκη*) atque *τὸν ῥητορικὸν ἀνάγκη ἐκ τοῦ λόγου δίκαιον εἶναι* idem valet quod *οὐκοῦν ἀνάγκη τὸν ῥητορικὸν δίκαιον εἶναι*; Nec vero illud: *οὐδέποτε ἄρα βουλήσεται ὁ ῥητορικὸς ἀδικεῖν*, quod Hermannus non delendum censuit, quidquam novi affert, cum facillime effici possit ex his propositis: *οὐκοῦν ἀνάγκη τὸν ῥητορικὸν δίκαιον εἶναι, τὸν δὲ δίκαιον βούλεσθαι δίκαια πράττειν*; Quod autem attinet ad verbum *βούλεσθαι*, Stallbaumius, Astius, Deuschlius, alii ita id explicare et cum ceteris connectere studuerunt, ut in hac argumentationis parte imprimis vi sua emineat. Et optime quidem Deuschlius cur id premendum videri possit indicavit; Socratem enim putat spectare ad ea, quae Gorgias ipse pag. 456. D — 457. C de usu rhetoricae ad injuriam tendente ideoque minime probabili dixerit. Sed ibi Gorgias rhetorica male uti posse rhetores concesserat nec tamen omnino eam tendere ad injuriam atque velle rhetoricam inferre injuriam nunquam antea commemoravit. Quid quod verbum *βούλεσθαι* hoc tantum loco invenitur? Interest autem aliquid inter injuriam facere et injuriam facere velle. Nam qui facit injuriam, eam invitus, voluptate vel stultitia occaecatus, facere potest, quod non cadit in eum, qui injuriam facere vult. Deinde si sine offensione illud *βούλεσθαι* hic legatur, patet necesse esse id etiam in exemplis paulo antea positis scriptum sit. Sed tantum abest, ut Plato id fecerit, ut simpliciter, qui artem didicerit, artificem eum esse dixerit atque eadem ratione, qui sciat, quid sit justum, eum esse virum. justum ideoque facere juste. Quae cum ita se habeant, praeter omnem exspectationem hic legi verbum *βούλεσθαι* nemo non concedet. Hanc rem fugisse Deuschlium eo magis miror,

quod Platonem scire quid sit rectum et recte facere idem esse statuere neque omnino in his rebus voluntati locum esse tribuendum, optime declaravit ipse (in edit. sua p. 48. 10, p. 200.). Pugnare id perspicuum est omnibus cum eo, quod idem vir doctus verbi *βούλεσθαι* propriam et singularem vim esse dicit, praesertim cum, si tanta ejus esset vis, ne hoc quidem recte se haberet, idem esse virum justum juste facere et virum justum velle semper juste facere (ed. p. 200.). Neque in hoc sibi constare Deuschlium video, quod in commentario pag. 48. 20. verba *τὸν δὲ ῥητ. κτλ.* ut genuina explicat et agnoscere videtur, nihilominus tamen in texto quod dicitur Hermannum secutus delenda significavit.

Jam si iis, quae disputata sunt, effectum est, verbum *βούλεσθαι* hoc loco exspectari non posse atque novi quid habere alienumque esse ab hoc loco, ita tantum tolerandum est, ut H. Schmidtium sequentes premendum id non esse et Platonem paulo neglegentius argumentatum esse statuamus, nisi id ante Quinctiliani tempora nescio quo modo in exemplaria irrepsisse existimaveris. Ex hoc autem hujus verbi usu necopinato etiam facile judicari posse duco verba, quibus adulteratus sit hic locus, adscripta esse a lectore, qui hoc additamento lenire vellet legentium animos illo *βούλεσθαι* stupentes atque totum locum quantum fieri posset concinniorem facere. Ita autem rem se habere ut credamus, facile adducimur, si singula verba spectamus. Verba enim, quibus Quinctiliano teste Gorgias Socrati omnia concessit, sunt *φαίνεταί γε.* Eadem autem cum sint verba adjecta negatione *οὐ* in fine corruptelae, facile suspicari possis, his verbis iisdem circumcludi verba spuria. Facili enim conjectura assequaris, in margine ea a lectore quodam adscripta et, postquam in textum recepta sint, *φαίνεταί γε* addita negatione repetitum esse.

Haec sunt, e quibus cogi posse videatur delendum esse locum: *οὐδέποτε ἄρα βουλήσεται — οὐ φαίνεταί γε.* Restat, ut demonstretur, quomodo omissis his verbis reliqua sibi respondeant. Efficere autem voluit Plato Gorgiam loqui pugnantia, si rhetorem dicat versari in rebus justis et injustis, nihilominus tamen sua ipsius arte male utentem posse injuriam facere. Quod ut efficiat primum Gorgiam facit sibi concedentem rhetorem quid sit justum et injustum didicisse. Deinde ita pergit: qui aliquam artem di-

dicit, talis est, qualem ars eum fecit. Ergo si quis quid sit justum didicit, is est justus atque, cum sit justus, juste facit. Haec autem duo sunt proposita, e quibus Socrates capite quinto decimo cogit rhetorem, si didicerit quid sit justum, injuste agere et idcirco arte sua non recte uti non posse.

Pag. 473. C. *ΠΩΛ. Πῶς λέγεις; ἐὰν ἀδικῶν ἄνθρωπος ληφθῇ τυραννίδι ἐπιβουλεύων καὶ ληφθεὶς στρεβλῶται καὶ ἐκτέμνηται καὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς ἐκκάηται καὶ ἄλλας πολλὰς καὶ μεγάλας καὶ παντοδαπὰς λώβας αὐτός τε λωβηθεὶς καὶ τοὺς αὐτοῦ ἐπιδὼν παῖδάς τε καὶ γυναῖκα τὸ ἔσχατον ἀνασταυρωθῇ ἢ καταπιττωθῇ, οὗτος εὐδαιμονέστατος ἔσται, ἢ ἐὰν διαφυγὼν τύραννος καταστῇ καὶ ἄρχων ἐν τῇ πόλει διαβιῷ ποιῶν ὅτι ἂν βούληται, ζηλωτὸς ὢν καὶ εὐδαιμονιζόμενος ὑπὸ τῶν πολιτῶν καὶ τῶν ἄλλων ξένων;*

Non est cur superlativum *εὐδαιμονέστατος,* qui est in libris optimis, mutemus in comparativum *εὐδαιμονέστερος,* quem Stephanus videtur posuisse propter sequens *ἤ,* quod quam significare putavit. Illud *ἤ* Stallbaumius dicit ita explicari posse, ut superlativo respondere *ἤ* existimemus. At vereor, ne haec superlativi licentia non sit infinita, ex Platone saltem similis locus non possit afferri. Simplicissime res se habet, si interrogationem disjunctivam esse statuimus, cujus in membro priore desit particula. (Matthiae. §. 619.) Jam si Polus quaerit de Socrate, utrum beatissimus sit, qui poenam injuriae luat an qui impune injuriam faciat, haec interrogatio bimembris idem fere significat, ac si quaerat, num is, qui injuriae poenam luat, sit beatior quam qui impune injuriam faciat. Atque cum superlativi in hac interrogatione disjunctiva haec sit vis, ut idem valeat, quod in interrogatione simplici comparativus sequente *ἤ*, non mireris, Socratem paulo post de eadem re dicere: *εὐδαιμονέστερος μὲν τοίνυν οὐδέποτε ἔσται οὐδέτερος αὐτῶν.* Neque hoc quemquam fugiet, superlativum multum conferre ad augendam ironiae vim, quae est in Poli oratione, ita ut Socrates merito atque optimo jure: *μορμολύττει αὖ, ὦ γενναῖε Πῶλε* respondere possit.

Hic loquendi usus, quo in interrogationis disjunctivae parte priore omissa est particula, hoc loco jam a Ficino recte intellectus est, qui legens positivum *εὐδαίμων,* qui est in libris deterioris notae, locum ita convertit in Latinum: an haec patiens felix erit? Sed quamvis hoc interrogandi genus apud scriptores Grae-

cos inde ab Homero frequentissimum sit, non recte tamen ubique id cognoverunt viri docti atque idcirco non semper aptum adhibuerunt distinguendi signum. Perperam igitur ab editoribus, quantum ego scio, omnibus in Gorgia distincta sunt haec: pag. 495. D. *ΚΑΛ. Σωκράτης δέ γε ἡμῖν ὁ Ἀλωπεκῆθεν οὐχ ὁμολογεῖ ταῦτα· ἢ ὁμολογεῖ*; Distinguendum est: *οὐχ ὁμολογεῖ ταῦτα, ἢ ὁμολογεῖ*; Similiter pag. 498. E scribendum est *ΣΩ. Κακῶν δέ γε παρουσίᾳ φῂς σὺ εἶναι κακοὺς τοὺς κακούς, ἢ οὐκέτι φῄς*;

Ab hoc autem loco, quoniam ad res pusillas descendimus, non alienum erit, si, quod in editionibus post Hirschigianam factis novatum in interrogationibus pendentibus displicet, paucis indicamus. Post tales enim interrogationes ab editoribus recentioribus positum est interrogandi signum, cum, si naturam membri, e quo interrogatio pendeat, spectamus, ut par est, ponendum sit punctum. Quare injuria Hirschigius, Deuschlius pag. 449. A post verba *καὶ νῦν οὕτως εἰπέ, τίς ἡ τέχνη καὶ τίνα Γοργίαν καλεῖν χρὴ ἡμᾶς* et ibidem post *αὐτὸς ἡμῖν εἰπέ, τίνα σε χρὴ καλεῖν ὡς τίνος ἐπιστήμονα τέχνης* punctum sustulerunt, quamquam utraque interrogatio suspensa est ex *εἰπέ*. Etiam pag. 452. D *τί ἐστι τοῦτο, ὃ φῂς σὺ μέγιστον ἀγαθὸν εἶναι τοῖς ἀνθρώποις καὶ σὲ δημιουργὸν εἶναι αὐτοῦ* pendet ab *ἀπόκριναι* atque hanc ob rem interrogandi signum recte se habere non potest.

Pag. 477. D. *ΣΩ. Οὐκοῦν ἢ ἀνιαρότατόν ἐστιν καὶ ἀνίᾳ ὑπερβάλλον αἴσχιστον τούτων ἢ βλάβῃ ἢ ἀμφότερα*;

Interpretes fere omnes haeserunt in explicando hoc loco. Impeditus enim est maxime eo, quod verba *ἢ ἀνιαρότατόν ἐστιν* contextum orationis videntur turbare. Nam postquam quid sit turpissimum accuratius definitum est his *ἀεὶ τὸ αἴσχιστον ἤτοι λύπην μεγίστην παρέχον ἢ βλάβην ἢ ἀμφότερα αἴσχιστόν ἐστιν*, Socratem *ἀδικίαν καὶ σύμπασαν ψυχῆς πονηρίαν* esse omnium vitiorum turpissimum ita demonstraturum esse exspectamus, ut dicat: nonne igitur injustitia et omne animi vitium, quod aut molestia aut detrimento aut utroque superat, inter animi vitia turpissimum est? At Plato tanta disserendi elegantia non utitur, sed quippe qui dialogum conscribat, liberiore dicendi genere quod subjectum esse exspectaveris (*ἢ ἀνιαρότατόν ἐστιν*) annectit aeque ac loco simili, qui pag. 475. B legitur. Dicit igitur: nonne igitur injustitia et omne animi vitium molestissimum est et propterea quod mo-

lestia superat inter haec vitia turpissimum est aut propterea quod detrimento superat aut utroque?

Jam si haec, quamvis minus accurate disputata sint, tamen e Platonici sermonis consuetudine toleranda esse concedas, certe mireris illud ἤ, quod positum est ante ἀνιαρότατόν ἐστιν. Nihil enim est, quod illi ἤ respondeat. Ac tamen Astius hunc locum latine ita reddidit: „nonne vel molestissima est et quia reliquas dolore superat turpissima habetur?“ Sed me libere profiteor prorsus ignorare, quomodo ad particulam ἤ, vel referri possit καί. Καί igitur, quo ἀνιαρότατον et αἴσχιστον τούτων ἐστίν conjunguntur, cum non referri possit ad ἤ, ad id ἤ etiam spectare non possunt illa ἤ, quae sunt ante βλάβῃ et ante ἀμφότερα; referenda enim sunt ad ἀνίᾳ ὑπερβάλλον. Illud ἤ primus posuit Bekkerus nec tamen quisquam, quomodo id conjungendum et explicandum esset, satis declaravit. In libris plurimis est ἦ, quod Stephano legendum videbatur. Id natum esse putamus e studio quodam minus probabili verba ita, ut sententia postulat, componendi. Mihi igitur his rebus omnibus diligenter circumspectis optimum videtur ejicere illud ἤ, quod non legitur in codice Bodlejano a Gaisfordio collato. Quod si delemus, omnia satis recte se habent.

In Stallbaumii quidem hujus loci interpretatione me acquiescere non potuisse ex iis, quae exposui, apparebit. Anacoluthon enim statuens mirum quantum omnia confundit. Vertit autem hunc locum ita in Latinum: „nonne igitur aut injucunditatis habet plurimum atque propterea, quod molestia superat, inter haec turpissima est aut plurimum affert detrimenti aut cum utroque incommodo simul est conjuncta?“ Neglegit igitur in hac interpretatione Stallbaumius verba ἢ βλάβῃ ἢ ἀμφότερα pendere ex ὑπερβάλλον atque conjuncta esse cum ἀνίᾳ, adjungit haec verba, cum subjuncta sint, illis ἢ ἀνιαρότατόν ἐστιν, quae conjungenda sunt cum αἴσχιστον τούτων ἐστίν. Anacoluthon hic non esse facile intellegitur, si verba ita construuntur, ut sunt construenda: οὐκοῦν ἀνιαρότατόν ἐστιν καὶ αἴσχιστον τούτων ἐστίν, ὑπερβάλλον ἀνίᾳ ἢ βλάβῃ ἢ ἀμφότερα;

Multo minus quam Stallbaumii nobis arridet interpretatio Hirschigii, qui, ut tolleret duo attributa (ἀνιαρότατον et αἴσχιστον), quae sane aliquid offensionis habent, hunc locum ita enarrat (l. l. p. 26.): „ergone τὸ ἀδικεῖν est αἴσχιστον, quia est ἤτοι

ἀνιαρότατον καὶ ἀνίᾳ ὑπερβάλλον ἢ βλάβῃ ἢ ἀμφοτέροις?" Atque etiam quae pag. 475. B leguntur significare dicit: „ergone *τὸ ἀδικεῖν* est *αἴσχιον*, quod est *ἤτοι λυπηρότερον καὶ λύπῃ ὑπερβάλλον ἢ κακῷ ἢ ἀμφοτέροις?*" Sed cum ei valde assentiar de participio *ὑπερβάλλον* afferente causam, cur *τὸ ἀδικεῖν* sit *αἴσχιστον*, id prorsus non intellego, quomodo verba *ἤτοι ἀνιαρότατόν ἐστιν* subjungi queant verbis *αἴσχιστόν ἐστιν* et conjungi cum participio *ὑπερβάλλον*. Qua in re Hirschigium quamquam leges grammaticas neglegentem erravisse patet, ei tamen non adversor, quod pro *οὐκοῦν ἢ ἀνιαρότατόν ἐστιν* ponere maluit *ἤτοι*, quod pag. 475. B et multis aliis locis invenitur similiter usurpatum.

Pag. 483. A. *Φύσει μὲν γὰρ πᾶν αἴσχιόν ἐστιν, ὅπερ καὶ κάκιον, τὸ ἀδικεῖσθαι, νόμῳ δὲ τὸ ἀδικεῖν.*

Editor Bipontinus, Heindorfius, Astius *οἷον* post *κάκιον* intercidisse putaverunt. Id vocabulum sententiae rationem non flagitare, optime demonstraverunt Sybrandius in Dissert. litter. de Plat. Gorg. p. 142. et Voegelinus l. l. p. 240. Callicles enim non vult efficere omne quod pejus sit etiam esse turpius, sed id efficere vult *τὸ ἀδικεῖσθαι*, quod pejus sit, natura etiam esse turpius. Illud *ἀδικεῖσθαι* igitur non est loco exempli, quod voce *οἷον* indicaretur, sed ipsum est argumentum, de quo agitur. Concedit tamen Sybrandius durius esse, si *πᾶν* referatur ad *τὸ ἀδικεῖσθαι* ac levi mutatione *πᾶσι* pro *πᾶν* legendum esse censet. Idem Stallbaumio venit in mentem nec dissimile est, quod conjecit Wagnerus: *πάντως*. Sed nullus adhuc editor unam alteramve lectionem in textum admisit, habet enim utraque nescio quid alieni ab hoc loco; nemo hic exspectat formam factam a *πᾶν*. Quod Rueckertus (Plat. Eclog. p. 53.) cum bene sentiret, illud *πᾶν* uncis seclusit; sed si vox quaedam hoc loco omnino non fuisset, nemo sane intellegere posset, cur ineptum illud *πᾶν* a quoquam interpositum esset. Ita cum res se habeat, satis apparet, vetustum hoc loco esse vitium, quod omnibus codicibus sit commune. Nam si forma quaedam legenda esset ducta a *πᾶν*, nemo certe explicare posset, quomodo ea sit mutata in *πᾶν*, in quo omnes haerent. Quam ob rem pro *πᾶν* verisimile est a Platone scriptam esse vocem, quae postero tempore corrupta sit. Atque equidem eam fuisse suspicor *τοῦτ'*. Quod si restituimus in textum, certe totus hic locus omni difficultate caret.

Pag. 485. E. *ἐλεύθερον δὲ καὶ μέγα καὶ ἱκανὸν μηδέποτε φθέγξασθαι.*

Heindorfio in his verbis, etsi *ἱκανόν* ferri posse concedit, magis tamen placet *νεανικόν*. Laudat autem Lys. p. 204. E, ubi multis exemplis illustrat, *νεανικόν* esse gloriosum et magnificum. Impugnat ejus sententiam Voegelinus l. l. p. 241; *ἱκανόν* enim esse dicit quod ad finem quem sequamur consequendum sufficiat eoque perducat, bene igitur post *ἐλεύθερον* et *μέγα* locum habere. Nec tamen his Hermanno persuasit, qui Heindorfii conjecturam amplectitur, quod *ἱκανόν* vim gradationis non expleat; post magnum enim id quod satis sit non sufficere. Post Hermannum illud *νεανικόν* etiam a Jahnio et Deuschlio in textum receptum est.

Sed non recte hi viri doctissimi hujus gradationis rationem perspexisse mihi videntur. Putant enim, vim et potestatem, quae sit in *μέγα καὶ ἐλεύθερον*, necesse esse augeri voce, quae majus quid enunciet. Neque vero impetrare a me possum, ut *νεανικόν*, id quod juventae vigore est insigne et propterea est robustum et praeclarum (Astius ad Gorg. p. 508. D) gradationis causa poni posse credam post *μέγα καὶ ἐλεύθερον*, quo quae virum liberum deceant significantur, praesertim cum locus, quo *νεανικόν* cum iisdem vel similibus vocabulis atque hic conjunctum sit, afferri non possit. Mihi quidem *μέγα καὶ ἐλεύθερον* in unam quandam coaluisse videntur notionem atque quae a viro libero perfecto fieri quisque exspectat declarare. Hanc notionem subsequitur *καὶ ἱκανόν* per gradationem ad minus; *ἱκανον* enim, id quod sufficit, virum quemque, qualiscunque is sit, praestare posse exspectamus. Hoc igitur Plato dicit: talis homo nunquam liberi quid et magni, quid quod ne id quidem quod satis est dicet: er wird kein grosses und freies, kein auch nur genügendes Wort sprechen.

Pag. 491. D. ΣΩ. *Τί δὲ αὑτῶν, ὦ ἑταῖρε; τί ἢ τί ἄρχοντας ἢ ἀρχομένους;*

Stallbaumius, quem sequitur Deuschlius, scribit *τί δὲ αὑτῶν, ὦ ἑταῖρε;* atque *αὑτῶν* genitivum suspensum esse putat e *τί*, quod idem valeat ac *κατὰ τί*, ita ut germanice sit interpretandum: In Bezug auf was von ihrem Selbst aber? (sc. herrschend oder beherrscht). Sed primum cum Callicles tantum homines, qui dominantur in alios, commemoraverit, nondum eos, qui sibi tem-

perant, sequitur, Socratem τί δὲ αὐτῶν interrogare non posse. Deinde Socrates nihil efficere vult, nisi duo esse imperandi genera; homines enim posse imperare et aliis et sibi; subinde demum explicat, quas animi affectiones coerceant, qui sibi imperant.

Reliqua deinceps verba τί ἢ τί ἄρχοντας ἢ ἀρχομένους pro glossemate habet Bekkerus. Cui si Hermannus ita refragatur, ut dicat, sequentia ad αὐτῶν non πλέον ἔχειν tantum, sed ipsum ἄρχειν et ἄρχεσθαι intellegi jubere, id certe neglegit, ex iis, quae modo dixerat Callicles, eadem ratione ἄρχειν et ἄρχεσθαι intellegi posse, qua πλέον ἔχειν. Sed inde nasci videtur dubitatio, num spuria sint haec verba, quod sunt in codicibus omnibus excepto uno Parisiensi V et quod scholia quoque ea fuisse in libris confirmant. Major autem, quam quae cuiquam placere possit, mutatio est Hermanni, τί οἴει legentis pro τί ἢ τί. Qua de re si libenter assentior Jahnio, nihilominus quod hic αὐτῶν referens ad ἄρχοντας ἢ ἀρχομένους, plane omisit verba τί ἢ τί probare non possum, quod sunt in codicibus fere omnibus et in scholiis.

Illud τί ἢ τί cum nec prorsus deleri nec satis explicari possit, ad verum ii proxime accessisse videntur, qui unum τί in margine esse adscriptum, deinde in textum receptum rati locum sic emendaverunt: ἢ τί ἄρχοντας ἢ ἀρχομένους. Unum tamen impedit, quominus sana ita omnia esse existimemus. Nam scholia intuenti dubium esse non potest, quin alia fuerit personarum distinctio. Quam rem Heindorfius aliique viri docti cum perspicerent, scholiorum verba secuti varias scripturas proposuerunt, quae tamen, quod librorum auctoritate non confirmantur, probari non possunt. Scholiastae autem, quibus Socratis interrogatio brevis et abrupta nimis ambigua et obscura esse videbatur, conjectura eam explanare studuerunt, ita ut qui eorum verba amplectens locum corrigeret, tribueret Platoni, quod ei non tribuendum est.

Quamobrem optimum mihi visum est ea quae in libris exstant ita mutare, ut respondeant scholiastarum explanationi, nec tamen quidquam addere. Scholia autem accuratius contemplanti id satis constare puto, Callicli tribuenda esse verba, quae sunt post Socratis interrogationem: τί δέ; αὐτῶν, ὦ ἑταῖρε; Scholion enim huic loco adscriptum haec habet: *ὁ Καλλικλῆς συνεὶς τούτων οὐδέν, ὑπολαβὼν δὲ διαίρεσίν τινα περιέχειν τὴν ἐρώτησιν τοῦ Σωκράτους, ἀξιοῖ σαφῶς αὐτὸ εἰπεῖν, τί ποτέ ἐστιν ἑκάτερον ὧν*

ἀντιδιαιρεῖν βούλεται. διόπερ φησὶ τί ἢ τί. Dicit igitur scholiasta de discrimine, quod cum non satis perspexerit Callicles, interrogat, quaenam sint illae res duae, quas Socrates discerni velit. Jam si Callicli nihil tribuis nisi *πῶς λέγεις;* deest omnino locus, quem scholiasta commemorat. Nihil autem in Socratis oratione desideratur, si verba *ἢ τί ἄρχοντας ἢ ἀρχομένους* demuntur, imo brevitate vis eximia, quae est in *τί δέ; αὐτῶν, ὦ ἑταῖρε;* augeri videtur. Si autem Calliclis esse illa verba statueris, neque in sermone aliquid mutilatum inveneris et satisfeceris scholiastae. Neque aliter judicabit, qui quae Olympiodorus de hoc loco disputat, attentius legit: *τί δέ; αὐτῶν, ὦ ἑταῖρε; .... ἀσαφῶς προεβάλλοντο καὶ ἀδιαρθρώτως τὰ ὀνόματα,* quod plane cadit in haec verba, minus aptum est, si ea non distinguntur signis interrogandi vel si *ἢ τί ἄρχοντας ἢ ἀρχομένους* adduntur.

Ita igitur restitui pristina Platonis manus posse videtur. ΣΩ. *Τί δέ; αὐτῶν, ὦ ἑταῖρε;* Optimo jure *τί δέ;* hic tenet locum; est enim mirantis, quod Callicles de hominibus dicere neglexisset, qui sibi imperant; *αὐτῶν* autem, cum et de *πλέον ἔχειν* et de *ἄρχειν καὶ ἄρχεσθαι* pendere possit, lepide a Socrate est dictum, ita tamen, ut Callicles quomodo sit accipiendum ambigat. Is enim, qui omnino de hominibus sibi temperantibus non cogitat atque hanc ob rem ex paucis his verbis intellegere non potest, quid sentiat Socrates, id tamen auguratur, eum de alio imperio cogitare atque ipse facit, interrogat, quodnam imperium dicat *ἢ τί ἄρχοντας ἢ ἀρχομένους;* Ac stupens nova illa notione, quam affert Socrates, addit: *πῶς λέγεις;*

Habes meum de aliquot locis Gorgiae Platonici judicium, vir egregie, quod si sequeris, valde gaudebo, si aliud erit quoddam tuum, ad me pertinere existimes, quae Socratem dicentem facit Plato in Gorgia pag. 458. A: *ἐγὼ δὲ τίνων εἰμί; τῶν ἡδέως μὲν ἂν ἐλεγχθέντων, εἴ τι μὴ ἀληθὲς λέγω, ἡδέως δ' ἂν ἐλεγξάντων, εἴ τίς τι μὴ ἀληθὲς λέγοι, οὐκ ἀηδέστερον μέντ' ἂν ἐλεγχθέντων ἢ ἐλεγξάντων· μεῖζον γὰρ αὐτὸ ἀγαθὸν ἡγοῦμαι, ὅσωπερ μεῖζον ἀγαθόν ἐστιν αὐτὸν ἀπαλλαγῆναι κακοῦ τοῦ μεγίστου ἢ ἄλλον ἀπαλλάξαι.* Vale.

Scripsi Dresdae Id. Januar. a. MDCCCLXIII.

Schulnachrichten.

Die Befürchtung, welche ich in den Schulnachrichten des vorigen Jahres aussprach, hat sich leider erfüllt: Herr Conrector Dr. th. u. ph. Julius Friedrich Böttcher fand sich durch seinen Gesundheitszustand genöthigt, um seine Pensionirung einzukommen, und es ward ihm diese in der Weise, wie er es gewünscht hatte, bewilligt, nämlich so, dass ihm der Unterricht in der hebräischen Sprache verblieb, während er im Uebrigen von der Schule schied, an welcher er im J. 1824 als Collaborator angestellt ward und eine lange Reihe von Jahren als trefflicher Lehrer segensreich gewirkt hat. Die bereits im vorigen Schuljahre für seine Vertretung im Unterricht getroffene Anordnung ward, da die Entscheidung über seine Pensionirung und über die Ascension der übrigen Lehrer, in Folge deren das Conrectorat Herrn Helbig übertragen wurde, erst gegen das Ende des Sommersemesters erfolgte, auch im Wintersemester fort erhalten, damit der Lehrgang nicht inmitten des Cursus eine Störung erleide. Daher behielten die Herren Dr. Wohlrab und Dr. Hölbe auch die interimistische Verwaltung der Untertertia und Unterquarta bis zum Schlusse des Wintersemesters. — Durch Kränklichkeit fand sich auch Herr Dr. Tuch, der Michaelis 1861 als interimistischer Hülfslehrer für Herrn Dr. Schöne eingetreten war, Ostern 1862 genöthigt, seine Thätigkeit an unserer Schule aufzugeben. An seine Stelle trat Herr Cand. theol. Heinrich Ferdinand Bemmann, der das Ordinariat der Unterquinta bis Michaelis 1862, wo er von uns schied,

verwaltete. — Die erfolgte Ascension ward dem Coetus beim Beginn des Wintersemesters bekannt gemacht, ebenso die definitive Anstellung des Herrn Dr. Hölbe und die Anstellung des Herrn Cand. theol. Ehrt, dem das Ordinariat der Unterquinta übertragen ward. Johann Karl Gottlieb Ehrt ist geboren den 2. August 1837 zu Obervogelgesang bei Pirna, besuchte seit Pfingsten 1852 die Kreuzschule, bezog Ostern 1858 die Universität Leipzig, wo er Theologie und Philologie studirte. Michaelis 1861 bestand er das erste theologische Examen in Leipzig. Hierauf war er als Privatlehrer im Hause des Herrn Pastor M. Jentsch in Kohren thätig. Am 19. September 1862 ward ihm die letzte Gymnasiallehrerstelle an der Kreuzschule vom Stadtrath übertragen. Am 13. December 1862 übernahm er die Inspection des Alumneums, welche bis dahin von Herrn Dr. Calinich fortgeführt worden war. — Erfreulich war es, dass von Michaelis an auch Herr Sachse wieder in seine volle Thätigkeit eintreten und den Unterricht in der Naturwissenschaft, den er aus Rücksicht auf seine Gesundheit während des Sommers nur in der Unterquarta hatte ertheilen können, völlig übernehmen konnte. — Von dem Königl. Ministerium des Cultus und öffentlichen Unterrichts ward mir und dem Herrn Conrector Helbig der Professortitel ertheilt. Herr College Lindemann erwarb sich durch Einsendung einer Abhandlung über Platon's Symposion von der Universität Leipzig die philosophische Doctorwürde.

Das Geburtsfest Sr. Majestät des Königs Johann ward am 12. December in Gegenwart des Herrn Geh. Kirchen- und Schulraths Dr. Gilbert, des Herrn Oberbürgermeister Pfotenhauer und der Mitglieder der Gymnasialcommission von dem Lehrercollegium und den Schülern der fünf oberen Abtheilungen gefeiert. Nachdem von dem Singechor das „Salvum fac regem" von Hauptmann gesungen und von Herrn Dr. Mehnert das Gebet gesprochen worden war, sprachen der Primaner Börner in deutscher Rede über die sächsischen Fürsten des 16. Jahrhunderts, der Primaner Kallmeyer in lateinischer Rede über den Ausspruch des Plato, dass die Staaten erst dann glücklich sein würden, wenn Philosophen sie regierten; Herr Dr. Hultsch sprach in der Festrede über

Demosthenes, ein Muster der Vaterlandsliebe. Zum Schluss ward von dem Singechor eine Motette von Righini gesungen.

Allgemeine Andachtsübungen wurden zu den üblichen Zeiten gehalten. Zu Anfang des Schuljahres sprach Herr Dr. Götz nach Gal. 6, 4. über die Frage: „wie müssen wir bei der Prüfung unseres Selbstwerkes verfahren, um den Preis zu gewinnen, den der Apostel an dieselbe knüpft?“; nach den Sommerferien Herr Dr. Mehnert über die Frage, woher in uns der Wunsch und das Bedürfniss nach bestimmten Tagen der Erholung entstamme; nach den Michaelisferien Herr Dr. Götz über die Würde des Menschen in seinem Bekenntnisse: ich bin neben Gott! nach 1. Mos. 50, 19.; nach den Weihnachtsferien Herr Dr. Mehnert über Röm. 1, 16.: Ich schäme mich des Evangelii von Christo nicht, es ist eine Kraft Gottes, die da selig macht Alle, die daran glauben. — Bei der Schulcommunion, die am 16. Juli stattfand, hielt Herr Diac. Schubert die Beichtrede.

Von einer Schulfeierlichkeit am 19. Mai, dem hundertjährigen Geburtstage J. G. Fichte's, glaubten wir absehen zu müssen, doch hielt ich es für angemessen, die Schüler der drei oberen Abtheilungen durch einen Vortrag über Fichte's Leben und die Vorlesung eines Abschnittes aus Fichte's „über das Wesen des Gelehrten“ auf die Bedeutung des grossen Mannes, der ihnen durch seine erhabene Auffassung der Wissenschaft, die sittliche Würde seines Charakters und seine echte Vaterlandsliebe als Beispiel vorleuchten müsse, aufmerksam zu machen.

Den Alumnen ward am 17. September ein schöner Festtag durch einen Ausflug auf das Prebischthor und den grossen Winterberg bereitet, für welchen wir die von dem Stadtrath im J. 1860 und 1861 zum Geburtstag Sr. Maj. des Königs verwilligten Geschenke verwendeten und bei dem uns die wohlwollende Liberalität des Kön. Ministeriums der Finanzen und der Kön. Sächs.-Böhm. Eisenbahn-Direction durch die von uns mit dem herzlichsten Danke erkannte Gewährung freier Fahrt auf der Eisenbahn unterstützte. — Einer Anzahl von Schülern ward die unentgeltliche Theilnahme an dem Lehrcursus des Kön. stenographischen Instituts von demselben gestattet; Herr Director Dr. Kloss ver-

mittelte auch in diesem Schuljahre für mehrere Alumnen unentgeltlichen Schwimmunterricht, wie er denn ebenso selbst den Untertertianern Turnunterricht ertheilte. — Für die Abgebrannten der Städte Hohenstein, Oberwiesenthal und Eibenstock wurden 25 Thlr. 15 Ngr. unter den Schülern gesammelt und an die Expedition des Dresdner Journals abgeliefert. — Zum Schluss noch die gute Nachricht, dass der von mir in den Schulnachrichten seit dem Jahre 1852 vielfach besprochene Bau eines neuen Gymnasialgebäudes nunmehr wirklich definitiv beschlossen, der Bauplatz am Dohnaischen Platz gewählt, der Bauplan in der Hauptsache genehmigt ist, so dass wir erwarten dürfen, es werde der Bau selbst in nächster Zeit in Angriff genommen werden.

Die Schulbibliothek erhielt in den Jahren 1859 bis 1862 an Geschenken: von dem Kön. Ministerium des Cultus und öffentlichen Unterrichts: Sachsengrün, Jahrg. 1860. 61.; durch dasselbe von Herrn Dr. Max Strack in Berlin: Plinius Naturgeschichte, übersetzt von Chr. Strack, herausgegeben von M. Strack. 3 Th. — Vom Stadtrath: Neubert, Vortrag über die Rechtsverhältnisse der Kreuzschule. — Aus der Arnoldischen Stiftung: Madvig emendationes Livianae. — Köchly, akademische Vorträge und Reden. — Schäfer, Demosthenes. 3. Bd. — Waitz, deutsche Verfassungsgeschichte. 4 Bde. — Waitz, das Recht der salischen Franken. — Vormbaum, evangelische Schulordnungen. 1. Bd. — Aus der Verlassenschaft des Herrn Baron Wagner durch den Verein zu Rath und That: The writings of Thomas Jefferson. 4 Bde. — The footprints of the creator by H. Miller. — The book of Mormon by Jos. Smith, u. a. — Von Herrn Conrector Dr. Wagner: Virgili carmina enarr. Wagner. ed. 3. — Von Herrn Dr. Rabenhorst seine Kryptogamenflora von Sachsen etc. 1. Abth. — Von den Herren Verlegern: Benseler, Griechisch-deutsches Schulwörterbuch. L., Teubner. Pape, Deutsch-griechisches Handwörterbuch von Sengebusch. Braunschweig, Vieweg. Seydlitz, Schulgeographie; dessen kleine Schulgeographie; Schilling, kleine Schulnaturgeschichte. Breslau, Hirt. — Von Herrn Director Dr. Funkhänel seinen Vortrag über das geistliche Spiel von den zehn Jungfrauen und seine Ansprache etc; von Herrn Diac. Schöpff die von ihm

herausgegebene Aurora, t. 5—7., und Piper, evangel. Kalender für 1860.

